quid loquar, patres sanctissimi, aut quid taceam aut quo tantam morum turpitudinem erupturam existimem? an ut Baccho iterum ac Veneri ab illis templa dicentur, an ut iterum turpissima vota nuncupentur? an aut sacra repetantur? an ut foedissima Bacchanalia, Thyrsi, Hybrides revocentur, an ut Bromium, Euyum, Bisgenitum, sacrati hi parietes resonent? Et profecto jam aderunt omnibus bacchantibus foediores lymphati Adamitae, qui ut illi in Phrygia, sic hi in Batavia nati, satanae furiis exagitati, attoniti, nudi, has ipsas aras, has, inquam, sanctissimas aras, indiscriminata, nefanda, detestabili libidine deturpent. O tempora! O mores! Sed nos harum miseriarum solatia a Christi doctrina, quam hodie in monte docet, petamus.

Longe altius, ac sublimius vitae genus quam quod multitudini, hoc est, hominum qua ex parte homines sunt, societati conveniret, supremi patris sapientia, Christus primus post homines conditos judicaturus, et inauditam animorum magis quam corporum communionem proditurus, montem cum apostolis conscendit, legem illam jam olim carissimo sui populi ductori, ac principi Mosi a seipso in Sina datam, non ut solveret, abrogaretve (qui enim id faceret is, in quem mutatio, aut vicissitudinis adumbratio nulla cadit?) sed hominum ignoratione, pravisque moribus collapsam, depravatamque ut compleret, atque instauraret. Ne concupiscito, in duabus tabulis incisum cum essent, usque adeo ea lege mores hominum correcti non sunt, ut eorum natura in vetitum semper nitente, non aliter in omnes immoderatas appetitiones effrenati proruperint, quam emicant abruptis habenis, excussoque domitore, apertissimum nacti campum indomiti generosorum pecorum pulli. Earum radices tam alte in hominum animos demissas ut exscindere, et vineam suam optimus agricola spinis, vepribusque deformatam ut perpurgaret, non illis tantum apostolis, quos oculis corporeis praesentes intuebatur, (qui ad primos paternae mensae accubitus brevi in caelum evocandi cum forent, ecclesiae suae, quam in finem saeculorum duraturam condebat, praeesse perpetuo non poterant) sed vobis quoque, patres sanctissimi legitimis apostolorum successoribus (quos multo clarius aeternis divinitatis, quam illos ipsos corporeis humanitatis, oculis perspiciebat) cum alia divinae sapientiae mysteria, concupiscentiae fibras ex animis hominum radicitus extirpantia, tum rectam jejunandi rationem apostolicis hominibus dignam, a Pharisaica omnino abhorrentem tradidit: Non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, jejuno bis in sabbato, jactat Hypocrita, et fastu, supercilioque elatus, alios prae se omnes contemnens, quos despectui, ludibrioque habet, sui jejunii laudatores habere cupit. Quid hoc malum perversitatis, quid amentiae, Pharisaee? bonis quam plurimis placere, laudari a laudatis qui quicquam sapiunt student: tu cum omnes susque deque habes, tamen ex illorum vocibus, oculis, nutuque pendeas? Videri te ab illis jejunantem tanti facias, ut faciei humanae naturalem hilaritatem tetrica quadam severitate, et affectato pallore extermines, in eamque transformes, ut tamquam personatus quidam, neque tui, tui ut ego puto, neque aliorum, ut tu putas, similis, omnium in te oculos oraque convertas? omnium istae tuae nugae digitis mostrentur? tam humili abjectoque animo sis, ut vilissimis dominis servire non recuses? et maximam tui jejunii mercedem in pravis hominum judiciis colloces? non auram aliquam appetas salutarem, quam oriens sol justitiae splendidissimis oris sui radiis excitet et voluntatis tuae quasi arboris uberes fructus recreet ac foveat. Sed horribilis eos Aquilonis, a quo omne panditur malum, flatus verberet, verrat, excutiat, folia, ramos, ipsum denique stipitem in terram prosternat?

Sed video quo tandem Pharisaee evadas, domos fortunasque viduarum omni studio ac cogitatione invasisti, earum bona, quas longa oratione circumventus solitudine ipsa fraudibus tuis maxime patere perspicis immanibus istis faucibus devorasti: nec intolerabilis te modo superbia, sed profunda quaedam avaritia, duo inter se maxime propugnantia mala vexant. Neque ego informius te fuisse monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis, diversisque et inter se pugnantibus studiis, cupiditatibus conflatum. Sed dealbata paries, nonne te nullis omnino fundamentis nixum, inclinatum, ad propendentem ruinam vides? nonne olentem istam animam cadaveroso isto ex corpore, quasi ex sepulcro exhalantem turpissimis flagitiis, impuritatibusque susceptis, teterrimum quiddam, quod circumfusum late aerem corrumpat, naresque gravissime offendat, foetere sentis? Contra hanc Pharisaeorum falsam, inanem, vanam, cum veram, solidam, expressam Christus nos jejunandi rationem doceret, statuit ut si fide, spe ac caritate adducti, sui jejunii memoriam recoleremus, et quam ipse post illos 40. dies famem propter nostram salutem pertulisset, ejus partem saltem aliquam pro nobis tolerare non dubitaremus: haec ex eo caelestia, divinaque bona perciperemus.

M.E.C.D. 2017

Primum ut cupiditatem nostram contra legem justissimam perpetuo rebellantem, ejusque imperatis parere recusantem, legis imperio assuefaceremus, erectasque ejus cervices suavissimo Christi jugo subderemus, et impotentissimum quo premimur voluptatum dominatum a corpore sensibusque nostris depelleremus: ac quemadmodum primus homo veteri humani nominis hoste, at animorum simul ac corporum nostrorum voracissime helluone impulsore, in vetitum hortante, gula, cibum invasit, et momentaneam gustus delectationem cum perpetuo dolore et exilio commutavit, sic se auctore ac duce iisdem, quae ipse prius alte impresserat, austeritatis vestigiis insistentes, et gravissimae crucis suae partem quamvis nimiam tollentes concessorum ciborum abstinentia quasi postliminio in caelum rediremus. Denique ut blanda illa malorum omnium conciliatrice, voluptatis titillatione procul a nobis jejunio exterminata, corpore intermortuo, animi vero divina ac immortali natura exuscitata mentem nostram ab objectarum rerum cura ac solitudine liberam ad caelestium contemplationem altius erigeremus, et in praeparatis nobis praemiis consequendis, quae neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, omnem laborem, operam, industriam, cogitationem locaremus: et Danielem vatem imitati, qui ad divinas revelationes clarius perspiciendas jejuniis prius se, corpus, animumque perpurgavit: ipsi quoque quo plus de corporis gravitate detraxissemus, eo facilius in caelestium amorem, studia visionum raperemur. Postremo qui dimitti nobis peccata quotidie petimus, quorum frequentibus maculis aspergimur, jejuniis eas ut ablueremus: justitiae enim ratio hoc postulare videtur, ut quam voluptatem in illis patrandis capimus, aliqua eam molestia compensaremus, quo nostrae obedientiae cultu in Deum voluntario ad supremam illam Christi obedientiam qua se pro nobis morti obtulit, relato, crucis meritis nobis applicatis, pro maximis peccatis paululum modo supplicii clementissimo patri satisfaciat: et qui hortanti Ioheli, ut sanctificaremus jejunium, coetum vocaremus, paruimus, ab eodem audire mereamur: *Zelatus est dominus terram suam, et pepercit populo suo.*

Haec quum facimus, caput nostrum ungere, et faciem lavare jubemur, qua veterum hilaritatem suam declarantium consuetudine, cum hypocritarum ficta, simulataque tristitia ex adverso pugnante illud nobis mystice significatum gravissimi hujus loci interpretes docent, ut a Pharisaica ratione longissime disjuncti, tribus jejuniorum, quae supra dixi, a Christo concessis donis, quasi suavissime olentibus unguentis, caput nostrum qui Cristus est, perfundamus, et servos nos inutiles non inficiantes, et quae habemus ab eo nos accepisse omnia profitentes, divinam aeterni patris approbationem, non inanes levissimorum hominum rumusculos expetamus: mox facie minime exterminata, id est, inhumanitate, duritateque deposita, hominis naturae maxime aptam in homines humanitatem, clementiam, benignitatem assumamus, hospites aedibus recipiamus, egentibus auxilium non negemus, nudos opibus tegamus, afflictos fortunis excitemus, omnia denique caritatis officia facientes, vitam moresque nostros non Deo modo cordium inspectori, sed iis, quibuscum vivimus, et singula dicta, facta, quasi faciem nostram intuentibus ita probemus, ut una nobiscum caelestem patrem omnium bonorum fontem inexhaustum agnoscant, et quam maximis, ut aequum est, laudibus cumulent.

His sanctissimis vitae, ac perfectissimorum jejuniorum praeceptis a Christo hodie in monte informati apostoli cum in eis constantissime perseverarent, et orbem terrarum evangelii doctrina perexiguo tempore compleverunt, et eos sui muneris successores reliquerunt, qui magistrorum suorum vestigiis pressis, eam sunt apud omnes mortales auctoritatem consecuti, ut ex illorum dictis, tamquam divinis oraculis pendentes, et a fide quam ipsi docerent, ne transversum unguem declinarent, et de eorum vitae sanctitate tam magnifice sentirent, ut eam demum bonorum suorum partem optime collocatam existimarent, quae eorum consilio divino cultui, et pauperum miseriis sublevandis consecrata cum esset, ejus potiundae ac dispertiendae liberam illis potestatem permitterent. Quid enim homines prudentissimi sanctis suis rationibus accommodatius facere potuerunt, quam ut et morum vitaeque magistros, et fortunarum suarum dispensatores, et calamitosorum patronos eos potissimum exoptarent, quos perfectissima integerrimae vitae instituta persequentes, et in jejuniis, orationibus, ac apostolica carnis maceratione aetatem agentes ad tam divinum munus a Deo vocatos viderent, ut doctrinam et sacramenta, spiritualia animorum alimenta, Christiano populo suppeditarent? A quo majorum curriculo postquam deflexìmus, tam longinque discessimus, ut vix ejus tenuia hodie vestigia in ecclesiastico ordine appareant, tantis tum praesentibus, tum impendentibus malis urgemur, ut si nunc ea persequerer, dies me citius quam oratio deficeret.

Sed malo de illis apud vos PP SS. qui aequae, ac ipsi intelligitis, tacere, quam commemo-

M.E.C.D. 2017

vando et acerbissimum quem animo conceptum habetis, dolorem augere, vestraque pectora effodere, et ex infinita calamitatum Iliade perpauca dicere, ac ad fontem, quidem, unde omnes illae in ecclesiam Dei redundarunt, digitum intendisse, et quae prudens praetereo in vestra. PP. SS. existimatione posuisse huic homini satis sit. Quid quod ad iram Dei nostris excitatam peccatis avertendam maximum in jejunio positum fuit semper praesidium? Imminebat cervicibus Israelitarum crudelissimus domini incitatus imperiis Holophernes, urbi, temploque caedem, incendia, vastitatem parabat: in urbis ac templi praesidem ac custodem praepotentem Deum impurissima nefario ore blasphemias evomebat: et Iudaeorum quidem gens ingentibus hostium copiis perterrita rerum omnium necessariarum, ac praecipue aquae inopia pressa, siti omnino confecta barbari tortoris crudelitati sese permittere cogitabat. Cum ecce, qui orientis plurimas maximasque provincias sanguine, ruinisque compleral, qui arcam foederis caede foedare, ferro atque igni omnia vastare, urbem delere concupierat: simul ac expletus dapibus, vinoque sepultus cervicem inflexam posuit, unius jejunatricis Iudith gladio, avulso ab humeris capite, ingens in castris truncus, et sine nomine corpus jacuit. Dux femina facti miserabilior est ecclesiae hoc tempore, quam illo Ierosolymae conditio PP. SS. instant capitibus, haerent jam faucibus nostris daemonum furiis accensi haeretici, corporum, animorumque nostrorum odio ardentes, immortalis Dei templis ruinam, sacramentis interitum, orthodoxae religioni pestem, exitiumque meditantes, nec rapidis illis Rheni vorticibus, nec tantis his Alpium jugis objectis, ut ante solebant, cohibentur: in Galliam, in qua me miserum jam vix emergi audeo, in Hispaniam, in Italiam fera ista diluvies pervadere, haec quibus undique claudimur montium cacumina alluere, Europam inundare, omnia ubique obruere contendit. Ac sponsa quidem Christi, pro qua ille se illudendum, conspuendum, flagellandum impurissimis hominibus dedidit, acerbissimos cruciatus pertulit, sanctissimum sanguinem effudit, crudelissimum crucis tormentum subiit: quos hoc tempore appellet, quorum opem auxiliumque imploret, per quos a direptione, caede, incendio eripiatur: per quos aras, sacra, ceremonias retineat, nisi vos PP. SS. habet neminem, nisi in vobis. PP. SS. Spes nulla reliqua est nisi per vos PP. SS. a tantis malis recreetur. Poteritne aliquod crudelitatis, suppliciorum, tormentorumque genus effugere? poteritne immanem Holophernis rabiem non exaturare? poteritne haeresum perversitatem omnium, opinionum portenta, monstra, aut vetera exuscitata, aut nova excogitata evitare?

Expergiscimini per viscera misericordiae domini nostri Iesu Christi, saccum ciliciumque induite: cineres caniciebus vestris aspergite, inter templum et altare sordidati, squallidique plorate, virgam vindictae vigilantem, et lethalem plagam jamjam intentantem vestris a nobis lacrymis avertite, accensam Dei in nos iram vestris precibus supplicationibusque restinguite. Christum pro nobis Deo patri placentem hostiam offerte, ad Christum mediatorem confugite, ut homo pro hominibus, ut frater pro fratribus, ut caput pro suis membris laboret, quasi vestro jure postulate, fidem vobis ab ipso datam, promissaque reposcite, jejuniis adversus horum Holophernitarum impietatem, immanitatemque pugnate, et quam illi libidinum notam nobis inusserunt, hac potissimum ratione (*eluite.*) exurite: collapsam cum multis, magnisque in rebus, tum in jejunando veterem illam qua tantum noster ordo valebat, severamque disciplinam instaurate, ne in antiquis solum annalibus legatur, ac ne legatur quidem, sed in moribus, vitaque nostra reperiatur. Sit hoc inter catholicos, et haereticos cum primis maximum discrimen, ut illi non jejunandi, sed vino et exquisitis terra, marique epulis se obruendi licentia concupiscant, non jejuniorum arctissimis legibus astrictos et in veram a peccatis libertatem assertos nos esse gaudeamus: Holophernitis istis ad sua nos convivia vocantibus, illis Iudith verbis respondeamus: Non possumus manducare ex iis quae nobis praecipitis, ne veniat super nos offensio, ex iis quae ecclesia detulit manducabimus: illi, omnium qui monasticae, eremiticae, anachoreticae vitae aliquam adhuc imaginem retinent claustra, templa, jejunandi disciplinam disturbent, demoliantur, tollant: nos pro illis potius, quam pro sanguine, quam pro vita, quam pro spiritu nostro dimicemus: et ut Spartaco duce, ergastulis ruptis maximum Romanis servile bellum excitatum est: Sic plusquam Spartacus Lutherus omnes qui ubique terrarum tribus sanctissimis votis nuncupatis Dei Opt Max. sese servituti addixerunt, ad arma contra dominum capienda, ad pileum per summam perfidiam impie tatemque quod ipse prior designavit, arripiendum vocet: nos tam nefariis sacrilegiis execratis, tam sanctis vitae institutis consecratos, gentem praecipue sanctam ac regale sacerdotium esse judicemus, ut cum vestris PP. SS. auctoritatibus, sententiis, decretis abstinentiae, ac jejuniorum



M.E.C.D. 2017

firmitate roboratis tamquam Judithico gladio haeresiarcharum impia dogmata resciderítis, ut illa ex sublimiore loco avulsum Holophernis caput suis civibus, sic vos ex isto dignitatis supremo fastigio haeresum impietatem, fidei, morumque integritatem stabilitam orbi terrarum ostentantes exclamare possitis: *Luudate dominum Deum nostrum qui non deseruit sperantes in se, sed in nobis famulis suis adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel. DIXI.*

# XIX.

## SERMON PREDICADO EN TRENTO EN EL PRIMER DOMINGO DE CUARESMA.

28 DE FEBRERO DE 1563, POR EL DOCTOR JUAN LUDEÑA, Ó LODEÑA, NATURAL DE MADRID, RELIGIOSO DEL ÓRDEN DE PREDICADORES.

*Et ne nos inducas in tentationem.*

Sicut vestri muneris et officii est, cardinales illustrissimi, patres reverendissimi, oratores clarissimi, ecclesiam Dei custodire, adaugere, ad vivam nativamque effigiem revocare: ita mei esse credidi, de malis quibus illa laborat, vexaturque admodum, vos impraesentiarum admonere. Laborat autem (si prudenter advertimus) multis, magnis, contagiosis, periculosisque malis, quae omnia tribus dumtaxat locis nostrae orationis commode complectemur et aperiemus. Primo enim loco, de incredulitate et diffidentia in Deum. Secundo de inani, brevique peritura gloria. Tertio demum de avaritia tractabo. De his tamquam tribus potissimum maculis, quibus ecclesiam Dei discoloratam, deformatam, nimisque (proh dolor) defiguratam conspicimus, tractabimus, non fucatis, affectatis, aut adulatoriis, sed planis, simplicibus, flebilibus, seriisque verbis et sententiis.

Quandoquidem de iisdem planissime, simplicissime, multumque serio nos admonet evangelium hodiernum, dum evangelista dicit: *Tunc ductus* (Matth. 4.) *est Iesus a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.* Nusquam antiquus ille Dei voluntatis, verborum et operum detestabilis glossator atque corruptor, nimirum diabolus, opportunius, commodiusque tentat, quam cum videt Deum maxima hominibus pro sua gratia polliceri, nosque incredibilibus et insperatis donis ac beneficiis ab eodem ornatos, et cumulatos intuetur. Tunc, ut Iob loquitur, *Satan* (Iob. 4.) *astat inter filios Dei,* et obtenta licentia mare circuit et aridam, ut fideles, obedientes, gratosque Deo homines a fide, conceptaque fiducia avellat et in incredulitatem diffidentiamque Dei illos conjiciat. Cujus quidem satanicae indolis, tartareique ingenii quamquam multa, variaque passim extant in scripturis exempla: tamen quia mens mea, propositumque a nobis thema alio vocant, sola praesentis evangelii historia contentus ero, qua tamquam exemplo quodam ad nostram istam doctrinam confirmandam, brevissime utar.

Cum baptizato Christo caeli aperti sunt. Spiritusque sanctus in specie columbae supra ipsum descendit, et sonora dulcisque vox patris de caelo audita est: *Hic est filius* (Lucae. 3.) *meus dilectus, in quo mihi complacui*: eo sane tempore Deus pro hominibus humanissime loquutus est, nosque maximis donis, ac beneficiis donavit: quae si per partes, ac sigillatim, pro dignitate mihi explicanda essent, tempus nullum ad recensendum satis esset. Non enim pro se Christus baptizatus est, sed pro nobis, ut scilicet nostra peccata suffocaret, aquasque nostras sanctificaret. Non pro Christo caeli aperti sunt, cui ab aeterno patuerunt: sed pro nobis, quibus semper clausi fuerant. Non pro Christo Spiritus sanctus visibili specie mansuetae columbae descendit, quippe qui ab instanti divinae incarnationis suae Spiritu sancto plenus extitit: sed pro nobis, quos variis charismatibus, nempe mansuetudine, fide, spe, caritate, gratis inunxit, qui in ipso diligimur, patrique complacemus. Illi admirando et supercaelesti spectaculo, omniumque filiorum Dei publico negotio Satan astitit, factum vidit, verba, gestaque consideravit, examinavit, ruminavitque, et in secretioribus sui impii pectoris penetralibus (non sine magna invidia) captiose recondidit. *Tunc ductus est Iesus a spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.* Verum enimvero non mox tentat,

M.E.C.D. 2017

sed caute expectat donec diuturna abstinentia, patientissima malorum tolerantia, constantissima in Deum fiducia, filius Dei suam obedientiam, et in patrem gratitudinem aperte declaravit.

Tunc Satan arrepta ab iis malis, quae quam maxime Christus patiebatur, tentandi occasione, videns nimirum, tristissimam solitudinem, horrendam, meritoque fugiendam, cum bestiis, ferisque societatem, neglectum sui, esuriem, maleque suadam famem, iis inquam malis seu validissimis arietibus, potentissimisque tormentis, eum audacter impetit, interturbat et oppugnat, intendens a fide, quam illum ex iis, quae in baptismo audierat, concepisse putabat, in incredulitatem, et diffidentiam Dei detrudere: ignorabat utique Christum simul fuisse viatorem et beatum: omnia vero quae hactenus dixi tres proculdubio evangelistae summatim, paucisque verbis nobis insinuant, dum scribunt. *Et erat in deserto* (Macc. 1.) *cum bestiis et feris, et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esuriit: Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Haec est (medius fidius) sors omnium filiorum Dei, praesertim vero primorum procerum et capitum Christianae reipublicae scilicet expeti a Satana, sicut sanctus Lucas ait, *ut sicut triticum* (Lucae. 11.) *cribrentur et* excutiantur. Nam qui sponsum vincere, aut tantillum a loco movere non potuit, is idem faciens sponsae, commaculare, conspurcare, defoedare suis tentationibus numquam cessavit, nec cessat. Sed gratias agamus omnipotenti filio Dei sua oratione fides Petri, alioquin ut ille est cautus, sagax, diligens: nos vero incauti, imprudentes, negligentes, actum haud dubie esset de nobis: quapropter obsecro vos, cardinales illustrissimi, patres gravissimi, vosque doctores eruditissimi, ut me de incredulitate, et diffidentia Dei tantisper dicentem ac disserentem, pro vestra humanitate, patienter audiatis, et cogitetis me nunc ex hoc loco velle sermonem auspicari. Mirabimini forsitan, patres sanctissimi, quod postposita hujus primae tentationis triviali, communique de gula expositione: Dominum nostrum de incredulitate, atque diffidentia Dei tentatum fuisse dixerim.

Verum si attentis animis adverteritis, ad ejus gulae radicem, in quam inimicus homo Christum inducere satagebat, desinetis utique mirari, et me cum communi expositione, communemque mecum consentire sapienter, justeque judicabitis. Nam sicut peccatum illud gulae, in quod persuasi a serpente, primi nostri parentes deciderunt, ab incredulitate non dubie originem traxit: ita equidem, si juxta hostis infidele consilium, Christus de lapidibus illis, panes confecisset, et ex eis ad satietatem usque comedisset (quod tamen impossibile erat) a diffidentia Dei gula utique illa processisset. Non enim quispiam negotiis Dei mancipatus, ejusque obsequiis addictus, quod non debet facit, ut fami, aut suis necessitatibus succurrat, nisi prius plane de Deo diffidat, ejusque praecepta, promissiones, aut comminationes, neglectui, contemptuique prius habeat. Non me autem latet, innumeros esse in ecclesia Christianos, qui (salva fide) aut ex ignorantia, aut ex malitia, multa, quae non debent faciunt, ut sibi suisque rebus (quod aiunt) consulant, quos tamen nec debet, nec potest, constituta nostra regula comprehendere: in qua de his tantum loquor, qui secundum similitudinem praevaricationis Adae, ex incredulitate unius, aut multorum articulorum fidei, aut ex magna diffidentia Dei, perdite vivunt, suisque contra primam et secundam tabulam, peccatis, et blasphemiis sanctam Dei ecclesiam obscurant. Talium enim stultorum plena est miseranda, calamitosaque nostra aetas. Verum ut rem de qua nobis est sermo illustriorem faciamus, utque dicendis viam planam aperiamus, aliquot familiarissima (utinam non domestica) exempla in medium proferam, a gemino tamen (quod aiunt) ovo alte repetita.

Unus ex articulis nobis ab initio revelatis, et symbolo apostolorum propositis, atque promulgatis est, scilicet, *Credo sanctam ecclesiam catholicam.* Hic nempe articulus olim in priscis ecclesiis per universum orbem sparsis, fuit valde plenus (ut ita dixerim) succi, hoc est, fides illius peperit in ecclesia magnam poenitentiam, obedientiam, continentiam, praeceptorum, sacramentorum, consiliorumque Dei eximiam reverentiam, atque optimam intelligentiam: Nunc vero nostro deplorando saeculo, fidem illius articuli invasit diabolus, arreptumque vertit, et invertit, volvit et revolvit, suisque venenatis manibus compressit, et ex fructuosissimo articulo vacuam, cassamque nucem fecit. Nam quid est, obsecro, auditores candidissimi, abstinentiae, continentiae, poenitentiae, sacramentorum, quod cultus sanctorum, Dei consiliorum, concordiae, unitatisque ecclesiasticae inter Christianos haberi rationem, quam palam profiteri, ex illo pingui et refertissimo articulo diabolus suis malis artibus cassam vacuamque nucem reddiderit? Ex ea incredulitate (flens dico, flentes audite) processit in ecclesia insatiabilis illa gulositas, quae nemo non putat sibi licere quibuslibet vesci, ventremque implere, temporibus etiam ab ecclesia interdictis, ac si mors non

M.E.C.D. 2017

esset in prohibitis rationabiliter cibis, sicut inerat in *(Genes.* 1) prohibita arbore. Ex eodem rivulo ortum habet neglectus ille infidelisque contemptus, qui passim in ecclesia obtinuit servandorum consiliorum Dei. Inde nata sunt monstrosa quorumdam episcoporum, multorum sacerdotum, innumerabilium monachorum, et monacharum impudica, impuraque conjugia. Inde emersit satanica illa licentia dimittendi legitimas uxores, et alias ducendi. Inde horrendae illae blasphemiae, quae nullibi non audiuntur in sanctissimum altaris sacrificium, et in ecclesiasticam hierarchiam prodeunt. Quis obsecro sufficiens erit enumerare densissimas tenebras, quas satan invexit, introducta in ecclesiam incredulitate propositi illius articuli?

Est praeterea alius in capite libri scriptus articulus, omnium articulorum fidei caput, fons, et origo, nempe: *Audi* (Deut. 6) *Israel, unus est dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Aegypti, et de domo servitutis. Non habebis Deos alienos*, etc, Sistite obsecro, patres gravissimi, hic pedem, atque oculos et animos vestros in me convertite. Nihil equidem causatorem, criminatoremve illum magis urit, et ad invidiam stimulat, quam cum videt primum hunc articulum suum locum in ecclesia tenere: tenet vero cum clare, dilucide, atque evangelice docetur: in eo enim suam bonam voluntatem erga genus humanum Deus exprimit, dum nobis revelat se Deum nostrum esse velle, a servitute peccati liberare, in cunctis malis protegere, nostrique singularem curam habere, ea tantum lege, ut nos vicissim soli illi credamus, soli fidamus, soli serviamus, solum amemus, uniceque colamus. Cum igitur adversarius noster hujus reciproci amoris impatientissimus sit, nullum non movet lapidem, nihil intentatum relinquit, quo nos a Deo deturbet, et in infidelitatem, Deique diffidentiam detrudat: et sicut olim synagogam, deinde sub gratia Asiaticas, Africanas, ipsiusque Graeciae ecclesias praedictis maculis, omnimodaque omnium morum corruptione deturpavit, evertit, et in pulverem redegit: ita nunc Latinas eisdem pergit denigrare, adeoque instat, quod nisi dominus custodierit ecclesiam suam, frustra proculdubio vigilatis vos qui custoditis eam.

Quapropter, Christianissimi patres, de corde puro, conscientia bona, fide non ficta orandus est Deus, ne praesidiarias, auxiliatricesque manus suas nobis deneget, neve nos in tentationem inducat. Nam frequentissima illa tentatio, qua ad incredulitatem, diffidentiam, desperationem, odium, fastidium, taediumque Dei cunctos vere Christianos sollicitat, tametsi (ut psalmista loquitur) a latere *(Psal.* 90) cadat, id est, a sinistris sit, adeo est impetuosa, quod nisi noster Deus sua veritate, et fidelitate, ceu scuto, nos circumdet, incursus profecto meridiani daemonis vitare non valebimus: tantum abest, ut in illius voluntates sagittas, nocturnasque negociationes non incidamus. Quare iterum dico assidue, continue semper rogandus, invocandusque est Deus ne nos inducat in tentationem: sin minus mihi credite, corruemus, et succumbemus, sicut innumeri (proh dolor) succubuerunt, et in diaboli laqueos quotidie imprudenter incidunt, dum baculis *(Ezeq.)* arundineis et Aegyptiis innixi, mare hoc magnum, et spaciosum, in quo infinitae, gravesque sunt tentationes, tuto, secure, tranquille, se transituros confidunt. Ex illa Aegyptia vanaque confidentia emerserunt in ecclesia tot tenebrae sectariorum hominum, qui ab *(Genes.* 11) arca Noe, id est, ecclesia Romana exclusi, aquas irae Dei se fugituros credunt, Babylonicas turres quas ipsi superbe excogitaverunt, cum conscenderint: ex eadem carnea, arenosa confidentia ortae sunt in ecclesia tot tenebrae superstitionum, falsorum miraculorum, maleficarum artium, et hominum sub hypocrisi Deo servientium. Inde tot Cainici timores, tot Ischarioticae horrendae mortes, tot sanctarum legum, ne dicam Dei, osores, tantum denique inter Christianos legitimi divini cultus taedium, atque fastidium. Et quid malorum suis captiosis astutiis non intulit satan inducta in animos hominum ignoratione, perpetuaque Dei oblivione? Ut igitur nostri inde fatigati hostis insidias antevertamus, utque quod ecclesiarum reliquum est, parum, liberumque a satanicis, mundique tenebris servetis et custodiatis, operae precium erit, patres sanctissimi, ut vos qui oculatissimi multumque auriti debetis esse speculatores in altissimi montis Sion specula a Deo jure suo immediato positi, inde vocem vestram exaltetis, et aemulatione apostolica timeatis, ne sicut serpens sua adulatrice astutia seduxit Evam, ita mentes ovium vestrarum *(2 Cor.* 11) corrumpantur, et a prudentia, quae est in Christo excidant. Quapropter commode satis hoc loco, prius de astutiis serpentis, deinde de prudenti simplicitate, qua illi obviandum est, non nihil attingemus. Ut sic fluido tandem cursu nostra ratio ad finem usque deducatur.

Tripartita acie astutissimus diabolus sanctam catholicam ecclesiam Romanam impugnat, sicut

M.E.C.D. 2017

olim sponsum ejus triplici tentatione tentavit. In prima autem acie infinita mendacia collocat, componit, et coacervat: quae tamen specioso quodam stibio incrustat, quaedam vera mendaciis adglutinat: iis bene adornatus militibus, prima tentatione in Christum irruit, dicens, *Tu ne es filius Dei*? Fefellit audita vox, non favet tibi Deus, jejunii tui, solitudinis, et paupertatis nullam habet rationem, bestiis devorandum te objecit, solitudine, tristitia, frigore, nuditate, siti, fameque insuperabili te premit: quibus sane malis criminosos, iramque suam bene commeritos homines non filios solet ille immisericorditer punire. Eadem utique astutia Iob prius (*Iob* 2) per suos amicos et uxorem, deinde Davidem olim (2 *Reg.* 16) tentaverat. Nunc vero sui non oblitus diabolus, simili mendaciorum acie onustus ecclesiam tentare pergit, per suos haeresiarcas mendacesque prophetas, semper clamans, ecclesia Romana non est Eclesia Dei, potest ne ecclesia Dei esse, ubi verbum ejus (*Mat.* 13) negligitur, et solae humanae traditiones docentur? Ub pro minimis, levissimis, imo nullis quandoque peccatis horribilis excommunicationis gladius passim in Christianos stringitur? Ubi potentiores alligant onera (*Mat.* 23) importabilia super humeros hominum, ipsi vero nec digito volunt ea tangere? Ubi denique ministri sacramenta, indulgentias, dispensationes, sacerdotiaque vendunt: quodque gratis acceperunt sine pecunia (*Matth.* 10) dare nolunt: et omnes quaerunt quae sua sunt, non quae (*Philip.* 2) Iesu Christi. Iis et mille aliis similibus antiqui draconis vocibus, nunc veris, nunc vanis, nunc mendacibus totam fere Germaniam et Angliam, brevi tempore a nobis ille divisit: et nisi in Gallia, (quae sola monstris caruit) reliquisset sibi dominus septem millia virorum, qui non curvaverunt genua (3 *Reg.* 9) sua ante Baal, hoc est, qui usque ad sanguinem antiecclesianis restiterunt, desperatum esset jam profecto de ea. Ne igitur satanicus iste cancer amplius serpat, aut majores vires sumat, prudenti simplicitate quae est in Christo Iesu, obviandum est illi; id est, resistendum est diabolo, sicut Christus resistit, constanter inquiens. *Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Si vestrae omnium expectationi per tempus respondere liceret, tria essent profecto mihi prolixe declaranda, alteque repetenda. Primo pluribus rationibus ex scriptura collectis modus mihi esset explicandus, quo sola verba de ore Dei procedentia in nostris tentationibus nos consolantur, et in fide constabiliunt, firmioresque reddunt: ait enim doctor ille ecclesiasticus, in die malorum memento bonorum, hoc est, cum tentaris in memoriam revoca, quae tibi Deus verbo suo pollicitus est, et consolaberis, constabilieris, tentatoremque victum repelles. Secundo non paucis de neglectu verbi Dei mihi tractandum esset, qui adeo inter quosdam doctores et praedicatores catholicos invaluit et obtinuit, ut jam non gladiis penetrabilibus, sed stipulis, paleis, plumis, Aristotelicis, Platonicis, et Ciceronianis videantur multi cum adversariis debere manus conserere. O coecitatem deplorandam? O horrendam iram Dei? Hostes nostros acuunt, et contra nos stringunt. Nos vero nostra oscitantia et negligentia nobis perire eos sinimus. Tertio tandem deberem dignitatem, auctoritatem, indeviabilitatem, hoc est, dona Dei, sanctae catholicae Romanae ecclesiae exhibita, verbo de ore Dei procedente constabilire, et confirmare, ut obloquentium adversariorum blasphema ora obstruerentur: non enim cum nostris malis (*Roma.* 11) usibus et peccatis dona (quae sine poenitentia largitus est nobis Deus) sunt conjungenda: sed altius separanda. Tollendi quidem essent abusus, vitandae certae occasiones, quibus nomen ecclesiae inter hostes male audit, et blasphematur, nec (*Matth.* 23) eo minus dona Dei in pastoribus ecclesiae adoranda sunt. Extant enim literae regiae magno sigillo caelorum regis obsignatae, quibus praecipimur, ut Petrum et successores ejus, apostolos et suos successores, sicut se audiamus, et ab eisdem moderari, gubernari, regi, doceri sinamus. An vero quae docent, praecipiunt, statuunt, ordinant, remittunt, retinent, concedunt, indulgent, secundum rationem et analogiam fidei et caritatis: an vero sui privati commodi tantum gratia fiant, ipsi viderint. Appariturі enim (1 *Cor.* 5. *Ephes.* 4.) estis, patres conscripti, ante tribunal Iesu Christi, brevi reddituri exactam rationem de donis ad aedificationem tantum ecclesiae vobis concessis.

De istis, inquam, tribus multa verba opportune eram hic facturus Verum hora me premit, non cupio prolixitatis redargui, displicent mihi gratis prolixi doctores. Idcirco ad secundam aciem, qua secunda tentatione Christum adortus est diabolus, properare me oportet. Ait enim evangelista: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum supra pinaculum templi, et dicit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: Angelis enim suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Numquam



M.E.C.D. 2017

convenit Christo cum Belial, ut verbum enim Dei, nempe *tu insidiaberis* (Genes. 3) *calcaneo ejus*, manet in aeternum: sive vincatur, sive vincat, inducias non petit, requiem non invenit. Una acie in terram cadente, aliam erigit, multisque congestis adulatoriis sententiis eam adornat, quibus veluti gloriosis vehiculis Christum in aera rapit, quasi dicere volens: Si quidem tu es filius Dei ab eo solo pendens, dignus profecto es, ut a deserto, quod nunc inhabitas, in sublimia rapiaris, per sanctam civitatem deambules, et in pinnaculum templi, altissimum nempe locum, tamquam lumen ecclesiae constituaris. Unde si ad terram desilieris, sine offensa cades: nam angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Sic fiet ut admirabundus populus mirificis laudibus ad sidera usque te evehat, magna gloria repleat, pro messia te recipiat, et te divinis honoribus prosequatur. Cui Dominus: *Scriptum est, non tentabis* (Deut. 6) *dominum Deum tuum*. Perinde ac si dixisset. Omnis honor, aut gloria, quae ab offensa Dei proficiscitur, a tergo est relinquenda, et quae lucra videntur, tamquam stercora sunt posthabenda et rejicienda.

Ut igitur evangelicam istam Christi responsionem in nostris tentationibus (quae, si sapiemus, crebrae sunt) nobis theologice acommodemus, et applicemus. Avertendum vobis, patres sapientissimi, quod duobus pedibus in via Dei curritur, duobusque oculis mundi tenebrae illuminantur: dexter oculus fides est: sinister vero opera sunt ex fide procedentia. Cum igitur indefessus hostis dexterum oculum nubeculis tentationum in eum sparsis vitiare non potest: tunc sinistrum excremento arundinis infirmare aut corrumpere suis artibus, procurat, hoc est, dona Dei in nobis gloria vana, vaniore jactantia, vanissimaque praesumptione adulterari nititur. Sumus enim homines adeo gloriae cupidi, ut manifestissima (*Genes.* 3) peccata foliis fici cooperire hereditario jure studeamus: tantum abest, ut praeclara opera, quae in nobis, pro sua gloria, Deus operatur, pro nostra publicari nolimus. Unde in nostra natura, tametsi misera, multa ignominia, nulla vero gloria plena: optimam nanciscitur satan occasionem, sua acie adulatoria nos commode adoriendi. In Christo quidem deceptus est: deceptus inquam, exinanitione, neglectuque suae personae: dum ab eo se rapi, nuncque per aera, modo per sanctam civitatem, modo supra pinnaculum templi, modo in montem excelsum duci permisit. Verum in nobis non decipitur, nam per occultos quosdam, subterraneosque cuniculos, pulveres vanae gloriae, superbae inflationis, pompaeque mundanae in corda nostra tam liberaliter spargit, ut jam non de Deo cooperatore atque datore: sed de nostris tantum operibus, viribus, atque donis gloriemur. Et ita fit, ut sub titulo tantum gloriae Dei laxis habenis post nostram curramus.

Ex isto glorioso fonte fluit, proculdubio, omnis invidia, et carnalis contentio, quam inter nos regnare nulli non est perspicuum. Qui enim sua auctoritate, dignitate, sapientia, prudentia, reliquisque Dei donis ejus gloriam tantum quaerit, alterius minoribus, aequalibus, aut majoribus donis non utique invidet. Cur ergo figulus figulo invidet? nisi quia postposita gloria Dei, post nostram impotenter currimus. Ex eodem fonte derivarunt tot donorum, officiorum, beneficiorum Dei injustae appetitiones, et distributiones. Unde factum est, et quotidie fit, ut multi alioquin imprudentes, insipientes, et indocti, (ne dicam) prophani, nulla difficultate se sinant in sublimia rapi, et inde in altiores, pinguioresque ecclesias collocari, non considerantes, quod qui domui suae praeesse nescit, magnis ecclesiis Dei male praeesse potest. Multis equidem tum peregrinis, tum domesticis exemplis secundum hunc locum nostrae orationis ampliare possem: sed video parum temporis mihi superesse, quapropter ad tertium festinus accedo.

Subjungit autem evangelista: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum seorsum, et ostendit illi omnia regna mundi, et omnem gloriam eorum, et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Summum diaboli studium est, ut pro terrenis caelestia filii Dei commutemus, proque caduca gloria, aeternam perdamus. Ut ergo quod tantopere cupit in nobis, efficiat, nostris armis armatus, hoc est, rebus quarum aspectu mirum in modum delectamur, de quibusque indesinenter cogitamus, stipatus ad vos venit, tertiaque acie, magnis, sed vanis pollicitationibus falso instructa nos impetuose quatit: et sicut olim eisdem copiis primum hominem, cum uxore (Genes. 3.) sua, deinde secundum tentavit, oculis suis omnia regna mundi, et omnem potentiam, gloriamque eorum in puncto subjiciens, et ei liberaliter offerens: Ita nunc (mitius dixi) ita semper nos simillimis oblatis bonis, avaros facere pedibus, manibusque (quod aiunt) contendit: fallaces nimirum divitias concupiscentibus oculis nostris praesentans. Verum enimvero parvi aestimat veterator ille privatos, plebeiosque homines suis vanis pollicitationibus fallere, aut avaritia, cul-

M.E.C.D. 2017

tuque idolorum corrumpere: minima enim industria id effecisse, quotidieque in illis efficere satis didicit, dum per fas, nefasque cumulandis opibus, tam pauperes, quam divites omnes vacare experitur. In eo vero negotio quod gerit, tantum unum ardentissimis votis desiderat, nempe publicas personas, maxime vero ministeriis Dei obnoxias suis promissis in avaritiam trahere: probe enim scit impossibile esse corradendis pecuniis et cultui Dei quempiam ex animo servire posse: literis namque divinis proditum est, quod nemo duobus dominis Deo scilicet et Mammonae servire valet: *aut unum*, inquit Christus, *diliget, et alterum* (Matth. 6.) *odio habebit, aut unum sustinebit, et alterum contemnet*: multum enim diversa imperant. Ea tamen lege non obstante vafer ille frustra causam non suscepit: nam suis captiosis astutiis magnos, avaros in ecclesia fecit, dum divitias (*Matth.* 13.) non ut fallaces (quo titulo Christus eas caveri voluit) sed ut grandium operum (*opifices.*) obsides, et effectrices praesentat. Quem titulum diabolus eis praefixit: sicque fecit, ut sub colore multi eas ambiant, quomodolibet (*Matt.* 6.) acquirant, recipiant, prodigioseque retineant. Sub eodem praetextu infinite currunt per ecclesiam quaestuosae petitiones, pauperumque numquam finitae exactiones, et multi thesauri de eorumdem bonis in terra, contra praeceptum Christi, thesaurizantur, congesto hinc et inde iniquo mammona.

Hujusmodi diaboli infinitis astutiis, prudenti simplicitate, quae est in Christo Iesu, obsistendum est, quippe qui magno, sed mendaci pollicitatori non respondit, *vade Satana*, quoniam imperium, quod mihi offers, malum est, aut regna mundi mala sunt, sed ait: *Vade Satana, scriptum* (Deut. 6.) *est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quibus sane verbis non prohibet dominus Deus noster divitias, quas ille affluenter tribuit possidere, et conservare (sunt enim illae multum utiles, ne dicam, ecclesiae Dei necessariae) verum eas adorare, eisque servire, et in prophanos, non proximorum usus expendere perniciosum, capitaleque malum est: unde infinita venenosa capita oriuntur. *Cupiditas* enim *radix est* (1. Tim. 6.) *omnium malorum.* Porro cum malis tentationibus (2. *Pet.* 5.) undique obruamur, diabolo nimirum circumeunte, ut ad se rapiat: juxta Davidis evangelicum consilium, excitandus est Deus. Videtur enim *tamquam potens crapulatus* (Psal. 77.) *a vino* dormire: a vino nimirum nostrae magnae incredulitatis, et diffidentiae. Verumtamen non accendit omnem iram suam. Idcirco importunis precibus fores suas pulsare necesse est, semperque de profundo cordium nostrorum clamare: *Exurge* (Psal. 43.) *domine, quare obdormis domine, exurge, ne nos in finem repellas, et ne nos in tentationem inducas.* Amen.

# XX.

## DISCURSO PRONUNCIADO POR EL REVERENDO P. MAESTRO FRAI JUAN GALLO.

NATURAL DE BÚRGOS, TEÓLOGO DEL SERENÍSIMO Y CATÓLICO REY DON FELIPE II, EN ALABANZA DEE EGREGIO DOCTOR SANTO TOMÁS DE AQUINO: EN 7 DE MARZO DE 1563.

*Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Matth. 5.

Clarisissimi doctoris Thomae Aquinatis sacra de more celebraturi, laetis animis almae huic religioni merito sane congratulantes advenistis. Quem enim generis splendore conspicuum, non sine Italicae gentis honore Campania tulit, hunc saeculo renuntiantem felix praedicatorum ordo sinu excepit, nutrivit, docuit, et veluti praeclarum jubar cunctis syderibus micantius, orbi Christiano produxit. Atqui ut hujus Luciferi ortu peculiari nomine gloriamur, qui etiam catholicae ecclesiae ornamento fuit: ita fulgentissimam lucem nec intra privatos parietes occulimus, nec tantum decus quominus sit etiam commune, aliis invidemus. Etenim quondam Israeliticis tribubus haud leve, sed pulcrum illud (1. *Reg.* 19.) certamen erat, quae sibi David in regiam deducendum susciperet: Graecas itidem urbes quasdam inter se olim contendisse legimus, quae sibi Homerum poetam proprium vendicarent: nonne et potentissima Europae regna in celeberrimo doctore Thoma eximium

M.E.C.D. 2017

aliquid sui libenter agnoscent? Priscorum regum nobilitatem a materno proavo deductam Hispania contulit, Italia feliciter peperit, Germania erudiendum admisit, Gallia doctorem auscultavit, et ea nunc requies fesso quae labor ante fuit. Sed cui ego huic luci metas aut terminum constituo? Qua terrae, qua caeli patent, sanctissimae illius vitae adhuc fragrantia spirat, et caelestis doctrinae radius ubique gentium diffusus est, ut quod de felicissimo Iosia rege praedixit sapiens, in hujus laudem usurpare liceat. *In ore* (Eccles. 49.) *omnium quasi mel indulcabitur ejus memoria, et quasi musica in convivio vini.* Hujus ergo luminis contemplationi priorem nostrae orationis partem dicandam institui, mox ad civitatis supra montem positae altitudinem conscensurus: haec duo mihi ex evangelica lectione explicanda thematis loco delegi *(vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.)* Quae si divina gratia opem ferente praestitero, et nostrae solemnitati, et gravissimae huic concioni, non pro dignitate, sed pro exiguitate nostra satisfecisse videbor. Mihi certe vel alterutri parti satisfacere voluisse, perdifficile visum est. (*Vos estis lux mundi*) Sapiens ille orbis terrarum conditor, qui fortiter cuncta, suaviter universa disposuit, nequid patratis operibus desiderandum superesset, principio lucis venustatem, ac deinceps diversorum luminarium ornamenta constituit. Quamvis enim optima et pulcerrima extarent omnia, singulaque suis aptissime sedibus digesta (quae conditricis sapientiae dispositio fuit) una tamen luce deficiente, universa haec rerum species lugens, ac veluti orba perpetuo siluisset: nec sane alius naturae vultus futurus erat in orbe post operandi finem impositum, quam a principio habuisse scriptura revelante comperimus. *Terra* inquit, *erat inanis, et vacua, invisibilis, et incomposita, et tenebrae erant* (Genes. 1.) *super faciem abyssi.* Nulla montium asperitas, vel aequata camporum planicies videretur: neque praeterlabentium aquarum sinuosos flexus ab alto spectare licuisset: nullae virentium arborum picturatae frondes apparerent, aut candentibus gemmis amoena prata, quae se gratissima intuentibus objectant, voluptatem ullam mortalium oculis praestitissent. At ubi se super omnia splendor effudit, suus cuique vultus et decor allatus est: tantumque unius luminis ornamentum fuit, ut ipsi decori pulcritudinis atque venustatis plurimum adjecerit. Quod si bonorum omnium parens visibilem hanc lucem, quae terminis clausa, temporum vicissitudini obnoxia, et quae nobis cum pecoribus ac vermibus communis est, tanta providentia in medium produxit: haud equidem substitisse credendus est, quominus ad altiorem rerum ordinem perspiciendum sublimius quoddam lumen internis oculis admoverit. *Erat,* inquit evangelista, *lux vera, quae illuminat* (Ioan. 1.) *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Clarissima quidem illa planetarum et astrorum lumina, quae suis stationibus ac flexibus labentes coelo menses, annosque producunt, vera nullatenus dicta sunt, quod deceptricem hanc, et praetereuntem orbis figuram dumtaxat manifestant. Inaccessum vero divinae sapientiae lumen, quo invisibilia et numquam desitura bona revelantur, quo veritas agnoscitur, via spendet, vita invenitur, ut inventa aeternum perfruamur, lux vera est. Quae si nos caelum videre jussi, non proni terrena spectaremus, quod suum est, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: venire siquidem in mundum nondum eum arbitror, qui natus communem aerem spirare, solem hunc videre incipit: Sed cum jam rudioris aetatis caligine deposita, per intelligentiae acumen, rectum a pravo discernere praevalet: hunc splendidissimis radiis excitat, advocat, ut sequatur se nvitat: Quod clarioribus adhuc verbis per Salomonem nobis expressit: In summis, ait, excelsisque verticibus, in mediis semitis stans juxta portas civitatis, in ipsis foribus profert verba sua, dicens: *o viri* (Prov. 1.) *ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum.* Nullus locus relictus, nulla occasio neglecta, nullum tempus praetermissum est, quo non munera sua diffundere gestiet: qui in deliciis babet, quod miseri homunciones tantae majestatis convictu excipiantur, et tanto certe benignius, quanto sine ipso ad ejus contemplationem adduci impossibile, nedum difficile fuit.

Nam et si naturalium virtutum occultissima quaedam rimari, et mentis ingenita perspicuitate eruere possimus: quae in cor hominis non ascendunt, nulla mortalium oculorum perspicacitas consequi valuit: Audi sanctum Iob de his praeclare disserentem: *Habet*, inquit, *argentum* (Job. 28.) *venarum suarum principium, et auro locus est, in quo confletur*. Sunt quidem abstrusa quaedam, et naturae visceribus abdita, quales argenti, aliorumque metallorum venae, quae imis terrae penetralibus concrescunt, sed enim indagantibus pressa quidem vestigia contueri licet, ut ab effectu causam, a qualitate substantiam perquiramus. Occultum itaque argentum, sed quod habet suarum venarum principium certa sedes auri et aliorum, quae recondita videntur, certus locus desinitum cuique tempus decretum est: verum quod solertissimus indagator subodorari queat. Ea tamen divinae sapientiae sublimitas, ut neque tempori subjecta, neque loca diffinita contineri aut sensuum pernici vo-

M.E.C.D. 2017

latu possit attingi. Addit namque *unde ergo sapientia venit, aut quis locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium mortalium, volucres quoque coeli latet.* Attende, quam graphice rei hujus difficultatem expresserit. Non solum humanorum oculorum acies effugit, verum caelestium spirituum obtutibus abscondita est, qui naturae subtilitate, ut quibusdam pennis ad spiritualia capessenda facilius elevantur: et quo semel dicam: imo dicat nobis idem propheta, Deus intelligit viam ejus, nec ulli nisi ejus gratuita illustratione obtigit. Hic igitur, qui carneis, obtusisque sensibus lucidissimum solem proposuit, qui nos intelligendi virtute praeditos prae ceteris animantibus ab initio creavit, ut ejus erga nos caritatis undique argumenta suppeterent, spiritualium secretorum conscios admisit divinique luminis participes effecit.

Qua propter patres sanctissimi (oblata enim oportunitate libentissime utar) cum sapientiae illius incerta, et occulta nobis revelata conspexerimus, quamprimum sensibilem hanc lucem se caelo attollentem singulis diebus advertemus, levemus corda nostra, cum manibus ad Deum gratias agentes, cum apostolo Deo et patri, qui nos dignos haud utique invenit, sed ipse facit *in partem sortis sanctorum in lumine. Qui eripuit* (Colos. 1.) *nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae.* Quod nec praeclara majorum stemmata contulerunt, nec anteactae vitae merita sunt assequuta, non ingenii acrimonia, vel indefessi studiorum labores adepti, non vero cunctis opibus in unum collatis pretiosam hanc margaritam emere licitum fuit. Namque, ut ait sapiens, *pretiosior est* (Prov. 3.) *cunctis opibus, et omnia quae desiderantur non huic valent comparari.* Unde ergo sapientia venit? Quis tanti muneris auctor? Illud certe inviolabile numen, quem omnium bonorum auctorem revelante ipso agnoscimus, inspirante profitemur: *Deus*, inquit apostolus, *qui ds tenebris dixit lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in faciem Christi JESU.* Sed ad enarrandum illuminatoris nostri providentiam revertamur, omnibus quidem ille semper assistens, ut regiminis pulcerrimi ordo, quo universa disponit, in diffundendo lumine ostenderetur, ab ipso naturae exordio. in omni gente majora quaedam, et lucidiora sydera proposuit, quae acceptum lumen aliis impertirent, certissimumque viae ducatum afferrent. Hinc vetustissimus patriarcharum senatus, rutilus prophetarum chorus, recondita scripturarum aenigmata, sacerdotum ex adytis oracula emicuerunt: de quibus per Oseam praedixerat ipse dominus: *Ego visiones* (Osea 12.) *multiplicavi, et in manibus prophetarum adsimilatus sum.* Ad propulsandas ignorantiae tenebras, quibus originis peccatum, naturae vulnus obduxerat, semper divina lumina praesto fuerunt.

Intuere in mystico tabernaculi opificio, quam solicite de concinnandis lucernis, neque unquam extinguendis inter cetera praeceptum sit. Candelabrum septemplici (*Exod.* 25.) calamo productum, secundum exemplar in monte ostensum fieri decernitur, in Australi parte locandum, cujus tam extitit elaboratum opus, et nullibi se artificis ingenium aut manus diligentius exercuerint, quo et doctorum vota, et morum institutio, et docendi ratio, melius, quam iconicis imaginibus expressa fuerunt. De quibus ut non vacat singulatim referre, ita hoc unum silentio non est premendum, quod ductile candelabrum non fusile factum est, cum fusorii operis in illa fabrica non rarus fuerit usus. Namque fusilia repente integra. perfectaque videntur evadere, ductilia vero multiplici artificum exercitatione, ad statum, decoremque perducuntur. Ecclesiasticis sane viris haud leve documentum, ut candelabrum antiquum nobis quoque lucere possit: nulli scilicet regendi, aut nocendi munus repente assumendum, ne forte, dum antevertit, prius sit erroris magister, quam discipulus veritatis: sed quem longa, eaque feliciter exacta studia exercuerunt, quem probatae vitae austeritas u quibusdam malleorum ictibus indurabit, quem consultissima discernendi sagacitas undique nitentem reddidit. Hunc si nostra saecula morem servassent, nec tot haereticorum monstra tulissent, nec fidelium coetus, variis incertisque sententiis passim discinderentur. Aureum igitur illud septem lucernarum hastile, in tabernaculi penetralibus aeternos ignes conservans, illustrem doctorum sapientiam praetulit, quo septiformis spiritus in ecclesia domo Dei vivi, ut certissima sydera semper accendit.

Et haec quidem dum nocte silenti continerentur omnia. Quid enim aliud tempus illud, quod lucis ortum presserat, quam nox intempesta fuit? At ubi lux alma refulsit, ubi aeternum lumen velamine carnis obtectum, huic se mundo videndum obtulit, tunc nullus locus caligini aut tenebris relictus est, tunc felicitatis aeternae dies mortalibus illuxit, quem sacer Isaias ante ceciuerat: *Erit*, inquit, *lux Lunae, sicut* (Isai. 30) *lux Solis, et lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum, in die, qua alligaverit dominus vulnus populi sui, et percussuram plagae ejus sa-*



M.E.C.D. 2017

*naverit.* Ab illo die res nostrae olim collapsae, in pristinum decorem restitutae: Quin et novus splendor exoriri visus est: neque enim Lunam pristinam claritatem verum et solari similem accepturam, solemque ipsum septempliciter fore splendidum repromittit. Hujus luminis primitias gloriosus apostolorum chorus abstulit, quibus ipse justitiae Sol dicere solet: Vos estis lux mundi. Processerunt illi ut potentissima fulgura ab oriente usque in extremos occidentis fines micantia, ut in omnem terram sonos lucemque diffunderent. Ii per orbem terrarum, quasi scintillae in arundineto discurrentes, caritate succensi, doctrina fulgidi, tot funalia saeculo reliquerunt, ut noctis tenebrae profligatae, ac penitus fuerint devictae. Secundum illos alii atque alii surrexerunt, ut luminaribus succedentibus, aut etiam motis, indeficiens atque perpetuum lumen adesset, ut videlicet in domo *(Prov. ult.)* mulieris fortis, cujus ab ultimis finibus pretium lucerna per noctes numquam extingueretur.

Sed numquid ut lucerent, et non magis ut arderent posita sunt? De insigni quodam luminari, nempe de Ioanne Baptista testatur veritas: *ille erat* (Ioan. 5) *lucerna ardens, et lucens.* Arsit prius sibi, idque sapienter, ut deinceps aliis luceret utilius. Maximum Dei donum, caelestium mysteriorum cognitio, praeclarum mirificeque attollendum fidei lumen. At nisi operum pinguedine fotum, nisi caritatis ardore succensum, languere solet: ac penitus extingui. Vide quid de umbraticis lucernis lex olim praescripserit: *Praecipe* (Exod 27. Iob. 29) *filiis Israel ut offerant oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii.* Tu ergo si Dei lucernam super internum mentis caput splendere cupis, si lumen in tabernaculo non extingui, occidentis literae praeceptum, in spiritu vivificante custodi. Sume tibi oleum purissimum de arboribus olivarum, mores, inquam, tuos, in spiritu lenitatis et mansuetidinis compone, proceras illas arbores imitare, quae sunt in paradiso Dei, de quibus scriptum est: *Ii sunt* (Eccl. 44) *viri misericordiae, quorum pietates non defecerunt.* Cumque horum exempla imitanda susceperis, atque opere praestiteris, memento ea pilo contundere, ut nihil videlicet, tibi indulgendum existimes: sed benignum te aliis, tibi acerrimum exhibe: cunctaque opera discretionis pilo, quasi surdo verbere contusa igni caritatis admovere satage: itaque fiet, ut emunctissima lucerna potiaris. Tales se nobis praestiterunt apostolici viri, quibus haud secus, atque caelestibus astris ecclesiae sanctae corpus *(Apo. 12)* exornatum, lucidissimumque fuit. Ex his ut quibusdam floribus sapiens illa mulier stellatum diadema contexuit, capitique imposuit, ut vel hinc prudentissimo cuique doctorum sublimitas facile possit deprehendi, quibus etiam a domino dictum est: *vos estis lux mundi.*

Inter hos veterascenti jam saeculo novus quidam Hesperus ab Hesperia exoritur Thomas Aquinas, cujus encomia prosequentem, ante me temporis, et orationis, quam dicendarum rerum copia destituet. Quod si aut vestrae expectationis, aut animi mei votis parem esse licuisset, ultro se hujus diei obtulerat occasio, qua feliciorem nec ipse optare, nec quivis alius promittere auderet, ut coram celeberrimo totius orbis consessu de sanctissimo doctore mihi etiam a prima aetate observandissimo verba facturus adessem. Nam, quod in laudibus Pauli primus dixit Chrysostomus, hujus etiam et ego viri amore flagro. Sed age praestat exigua quam nulla proferre, cum omnia persequi immensi laboris sit. Quis digne referat illibatum perpetuae virginitatis candorem? Animus ille angelicis spiritibus adsimilis, incoinquinatum corpus, et caelesti puritate perspicuum, exigebat, ne quid terreni contagii, spiritu, quem decorabat sapientia, illaberetur. Innocentissimus vitae progressus, circumspecta morum disciplina, victus parsimonia, incessus, gravitas, sermonis blanda modestia, totus denique exterioris hominis aspectus, quid aliud, quam reconditi luminis scintillae fuerunt?

Iam studiorum ejus rationes, nulla vel Apellis tabula evidentius, quam hodierna epistola depingi poterant. *Optavi*, ait, *et datus* (Sap. 7) *est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae:* et interpositis quibusdam subjecit, *quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.* Temporis itaque permultum habuit oratio, quae á teneris annis doctorem hunc ut pia nutrix fovit, neque unquam deseruit, plurimum lectioni, totum sapientiae studio impendebat ut nullum otio relinqueretur. In legendis auctoribus mira sedulitas certissimum in discernendis judicium, retinendi vero tanta vis, ut quae semel legisset (perlegerat autem antiquorum pleraque) omnia in prospectu habere judicares. Ea demum caelestis ingenii foecunditas, ut facilius eum credas dictare, quam alium legere potuisse. Quinquagesimum nondum evaserat annum, tot publicis praelectionibus feliciter exanthlatis, tot voluminibus mul-

M.E.C.D. 2017

tijuga eruditione compositis, ut vix eo tempore legere vacet, quot ille praeclara monumentum reliquit.

Et aliorum quidem singularis industria fuit: hic gentiles insectatur, alter haereticos aggreditur, alius in scripturis enarrandis, alius in explicandis disceptationibus totus incumbit, unus Thomas, quasi alter Beseleel in constructione tabernaculi (*Exo.* 35.) omnem operam impendisse videtur de quo scriptura refert, quod fuit plenus Spiritu Dei, sapientia, intelligentia, et scientia, et omni doctrina ad excogitandum, et faciendum opus omne in auro, argento, aere, et ferro, et quicquid fabre adinveniri potest, dedit in corde ejus. Attende quantum sancti doctoris industria ecclesiae contulerit. Gentilium errorum nubila disjecit, haereticorum argutias dissolvit, legalium arcanorum detexit umbras, scripturarum mysteria reseravit, fidei dogmata divinaque praecepta distinxit, virtutum rationes edocuit, sacramentorum efficaciam virtutemque luce ipsa clarius expressit: tantus denique fuit, ut unus artificum omnium operas praetitisse, atque in uno Thoma multigenam spiritualium divitiarum supellectilem confertam reperias. Brevis haec in (*Eccl. II*). volatilibus apes, sed quae mira florum varietate collecta fragrantia mella diffundat. Arque ut cetera sileam (quis enim hujus viri laudes vel justo volumine comprehendat?) hoc unum adjiciendum existimo, quod mihi plusquam miraculo fieri solet.

Nescio quo infausto genio, pestis haec nostris animis irrepserit: siquam ex alienis laboribus rapsodiam congessimus, id omne velut proprium venditantes, inanem auram, moxque perituram summo studio aucupamur, qui si furtivis coloribus exuti, nostros pannos ostenderemus, nihil aliud quam ridiculi videremur. At Divus hic, multa quidem alieno Marte collegit, sed cum plurima ex feracis ingenii partu contulisset, ea cura mentem solicitabat. ut vel Augustino, cujus observantissimus fuit, vel alicui sanctorum, quos omnes venerabatur, acceptum referret. Quod si Deo optimo maximo, gloriam, proximis utilitatem, antiquis honorem attulisset, nihil sibi ex propriis laboribus praeter labores reservandum censuit. Verum age, recepit de manu domini, duplicia pro cunctis operibus suis. Namque studiosissimus veritatis animus, revelatae jam gloriae contemplator inter praeclara lumina ante thronum divinitatis, fulgurantia perpetuo adsistit, et celeberrimum ejus nomen per omnium fidelium ora, tam suavi. quam frequenti sono pererrat.

Hunc dialecticae atque philosophiae candidati ducem sequuntur, Moralis disciplinae studiosi, consultissimum habent interpretem. Animarum vulneribus medicaturi, ab eo pigmenta mutuantur. Ille divini verbi praecones numquam non donatos remittit. Ipsum denique felicissimum antesignanum, theologorum exercitus consectatur, cumque omnibus in pretio sit, dignus sane venerabilis ecclesiae doctor, quem haec sacra, et oecumenica synodus maximis, iisque amplissimis honoribus prosequatur.

Sanctissimae siquidem vitae diem clausit extremum, cum ad generale concilium Lugduni celebratum, jussu Gregorii decimi pontificis maximi iter arripuisset: In ipso itinere constituto, nuncius ecce adest, ad concilium illud evocans, quod summus omnium parens ab initio saeculi indixerat, quo tandem ab orbe redempto, jam homines cum Angelis convenire coeperunt. Illuc Thomas vocatus pervenit, quo jam *ascenderunt* (Psal. 121.) *tribus, tribus domini testimonium Israel, ad confitendum nomini domini,* sed quis putas nuncius eum accersivit? quem alium a patre luminum mittendum existimabas, ut hoc lumen ad sydeream sedem accerseret? utique non alium quam lumen, lux lucem, stella stellam ad stellata regna vocavit. Moribundo enim fulgidus stellae radius tertio adstitit, ut fausto sydere per ignota regna contenderet. Demum ad extrema perductus, epithalamio Salomonis exposito, velut candidus olor carmine vitam finivit. Non ergo potuit ecclesiasticis interesse conciliis morte praeventus: verum ecce superstes, atque in aeternum victurus vobis adest, bona sua, spiritales doctrinae thesauros, haereditario jure vobis delegavit. Temporalia siquidem nec habere voluit, nec vestra auctoritate digna erant.

Nulla proinde ab ejus felici transitu concilia, sine sacro doctore celebrata sunt: ut enim de ceteris, sileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad ejus laudem testemur? vestra comitia perpendite. Ex plurimo eoque honorabili doctorum coetu, quotus quisque consultor accedit, qui divi Thomae auctoritate veluti splendente gemma, suam sententiam non exornet? At in consultissimo patrum recessu, doctor hic sententiam rogatus frequentissime censet, ad quem ut ad Lydium lapidem, siquid ambiguitatis, aut controversiae fuerit exortum, communibus votis referendum existimetis, et qui eum sui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non sit habiturus, quin secundum eum sententia ferenda sit. Atque

M.E.C.D. 2017

adeo hujus religionis nomine, gravissimae vestrae auctoritati gratias agere libeat, quod doctoris Thomae nomen ubique celeberrimum, vestra in eum observantia, celebrius posteritati reliqueritis, et quidem juste, ut qui etiam cum summis ecclesiae principibus divina voce audire meruerit. Vos estis lux mundi. Sed de priore quidem hactenus.

Ad vos jam, patres sanctissimi, nostra se flectit oratio: vobis namque posterior ejus pars a principio dicata est, quam obsecro, ut benigne excipiatis: brevior enim et utilior priore futura est.

*Non potest civitas abscondi supra montem posita.*

Frequentissimo scripturarum usu, sancta Christi ecclesia, civitas dicitur supra montem excelsum aedificata: nempe, quae illius omnipotentia, justitia, veritate, sacramentorum altitudine subnixa, hostili nullatenus incursu possit everti: de qua propheta: *Magnus* (Psal. 47.) *dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Idem ipse conditor, qui et fundamentum, idem sponsus, et propugnator est. At in praesentia hujus regni proceres, nimirum ecclesiarum praelati, qui aliorum duces et exemplar sunt propositi, civitati supra montem constructae dominica voce conferuntur. Enimvero ut civitas in eminenti, praeruptoque monte sita, pacatum, securumque refugium adventantibus praebet, eademque inaccessa hostibus, et terribilis imminet: haud secus Christiani populi rectores, benignitate miseros ad se confugientes excipere, et summa, qua pollent auctoritate, factiosos, rebelles oportet coercere. Fuere quidem in antiqua synagoga miserorum refugio decretae civitates, sed eae quidem paucae, nempe tres citra, totidem ultra Iordanem, ut in Numeris habetur, quo se tuto reciperet, qui inopinati homicidii reus accerseretur. Sed quod Dei nostri benignitas, et humanitas se nunc latius effuderit, ubique terrarum refugii civitates obviae, ubique exulibus certissimum asylum constitutum est. Audi, quam late pateant profugorum receptacula. Sic enim Isaias propheta: *Creabit dominus super omnem* (Isaiae. 4.) *locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et splendorem ignis flammantis per noctem: super omnem enim gloriam protectio.* Quod si effectum protectionis nosse desideras, quae antiquae columnae nubis, et ignis gloriam tantepore antecellit, attende quod subditur. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu in absconsionem, et securitatem a turbine et pluvia. Futura est ergo securitas, et ab internarum perturbationum aestu, et ab exteriorum hostium incursu, ut nec calore aduri, nec turbine agitari, neque pluvia obrui miseri pertimescant. Quot ecclesiae principes, tot refugii urbes agnosco, singuli (nedum haec sanctissima collectio) civitas estis supra montem posita. Hujus civitatis portas diebus ac noctibus patere opto, necui desint confugienti, nec importunitate frangi, aut pereuntibus vel pulsantibus occludi. Nullum terrenis affectibns, sed Christi ovibus latum praebere ingressum.

Augustissima refugii urbs erat, apostolicum illud pectus, quod caritate distentum, totum orbem, nedum unam Corinthum excipere contendebat, dicens: *Os nostrum patet* (1. Cor. 6.) *ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Hujus urbis firmitatem, potentiam, latitudinem, nostra haec infausta saecula efflagitabant, sed interim vos estis civitas supra montem posita. *Levate in circuitu oculos vestros, et videte,* quot miserorum et periclitantium myriades ad hoc refugium confluere, potius quam accurrere videantur, ignorantes, et parvuli divinae legis oracula, non quasi ex tripode, sed ex veritatis spiritu consultore vestro praestolantur, atque omnes fidelium coetus sanctissimas leges institui, corruptos Christiani populi mores corrigi, abusus revocari, pristinum ecclesiae candorem restitui, summis votis deposcunt. Num tot lacrymis, iisque justissimis, vestrae pietatis viscera sese continebunt? Antiquae fuit crudelitatis, quod vir sanctus amare deflebat, *Lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos, filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto,* quae tanta impietas, quae ferarum superat immanitatem? ea scilicet, quae sequitur. *Adhaesit lingua lactentis ad palatum ejus in siti, parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Absit a benigna Christi ecclesia ejusmodi crudelitas, quae ab sponso, vel sanguine fuso, languentibus pullis, et vitam, et escam infundere edocta est. Maxima aegrotantium multitudo gemebunda, ac propediem moritura coram vobis jacet, qualem miseratus est olim salvator apud Matthaeum, quia jacebant vexati, *sicut oves non habentes* (Matth. 6.) *pastorem.* Hos viperarum morsus infidelitatis veneno corrupit, illos flagitiorum omnium Lerna propemodum absorbuit, ac paganis deteriores effecit. Sunt quos et imbecilles tantorum malorum effigies deterreant.

M.E.C.D. 2017

Vos animarum medici, praesentaneo quodam antidoto subvenite, vobis enim caelestium medicinarum pigmenta, vobis omnium charismatum apothecae commissae sunt. Nihil tam ad mortem, adsit modo vestra solicitudo, quod Christi sanguine, ad pristinam valetudinem revocari non possit. Audite querulam Hieremiae vocem, ne eamdem a Christo audire contingat. *Numquid* (Hiere. 8.) *resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiae populi mei?* Quis absque gemitu recolat innumeras orbis ecclesias, vigilantissimis hisce pastoribus creditas, eorum praesentia tot diebus orbatas, et solatio destitutas quae tandem privatas viduitatis lacrymas, publicae salutis expectatione consolantur? At si tot post fletus, post tot dierum intercessionem pastores suos sumptibus exhaustos, laboribus confectos, longissima peregrinatione fractos, et, quod magis dolendum est fructu vacuos, spe frustratos aspexerint: O quantus erit occursantium luctus, qualis redeuntium confusio, quanta spe orbis universus decidet, qui in hac sacra synodo rerum summam sitam esse credebat? Quin vos hujus civitatis selectissimi custodes, misericordiae sinus expandite, et sicut scriptum est: *Circumdate* (Psal. 48.) *Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera*, blandimini moerenti, consolamini lugentem, omnibus regnis, atque provinciis paterna pietate consulite, singulis necessaria distribuite: *distribuite*, inquam, *domos ejus, cognoscat generatio altera*, ut praeclarum scilicet nomen posteris relinquatis, deque vobis in futurum dici possit: *Ii sunt sacerdotes* (Eccl. 5.) *magni qui in vita sua suffulserunt domum, et in diebus suis corroboraverunt templum*, et supplicibus quidem et confugientibus benignam, at hostibus, civitatem hanc terribilem esse oportet. Nullum tempus otio, nullus locus quiescendi superest: etenim si antiquitatis monumenta consulamus, nullum ab sponsi discessu nostro saeculo fuit calamitosius, tot malis atterimur, tot hostium agminibus obsidemur, in tanto rerum discrimine versamur: ut non jam opiniones praeliornm audiamus, sed cervicibus gladios imminentes tantum non simus perpessi.

Fuere quidem prioribus saeculis Gigantes viri seditiosi, qui terrena sapientia freti, huic civitati bellum indixerunt: fuere Cherinthi, Arii, Sabellii, Manichaei, Donatistae, ceteraque hominum portenta, qui adversus Dei ecclesiam arma corripere ausi sunt, nec sine magno fidelium periculo congressi, nec sine maximis laboribus superati: Divina tamen superne aspirante clementia, ex adverso processit instructus pastorum et doctorum cuneus, qui super hujus civitatis speculam interim vigilantes, sub moenibus quandoque dimicantes, tempora vitae concessa exemerunt: quidam et pulcerrimam per vulnera mortem oppetierunt. Tanta horum ducum in pugnando dexteritas, in regendo auctoritas, in cavendo providentia fuit, ut non solum sibi perpetuum victoriae decus, sed posteris, securitatem adepti fuerint. Numquam impiorum conatus orbi defuerunt, sed tamen quos ecclesiae praecedentium luminum splendore, facile deprehendere, et propriis, principumque armis de medio tollere, ac penitus extinguere valuerit. Successerat pacatum illud saeculum a prophetis longe ante praevisum. *Conflabunt*, (Isaiae. 2.) *gladios suos in vomeres. et lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem, nec exercebuntur ultra ad praelium.* Pulcre feriatos ecclesiae principes non jam congrediendi cum hostibus solicitudo, sed excolendi vineam domini labor exercebat: Verum (quae nostra infelicitas fuit) tranquillitas in desidiam, desidia in otium, otium in soporem evasit. *Dum* enim *dormirent* (Matth. 13.) *homines*, ecce monstrum horrendum Germania tulit, quo aliud truculentius ex puteo abyssi ascendere vix potuit. Quod Tartareo haeresum fumo ecclesiae catholicae vultum suffudit, errorum sentinam commovit, et portenta olim ejecta, veluti postliminio revocavit.

Haec viperarum genimina principio ut locustae subsultabant, nunc impudentissime praelia moliuntur, ut agnoscamus illos esse de quibus in Apocalypsi scriptum est (*Apoc.* 9.) similitudinis locustarum: similes equis paratis in praelium, de quibus et paulo post, quod loricas habebant ferreas. A principio quidem pietatem modestiamque praetexentes, quales evaserint, experimento cognoscitis, haud equidem jam clanculariis suggestionibus, publicisque concionibus agitur, nec maledicentia, et blasphemiis, quod his fuit serpentibus gentile, satiantur: verum aperta defectione, collatis signis adversus ecclesiam Dei vivi, adversus legitimos principes, contra jus omne atque fas, impias manus extulerunt: Huic civitati supra montem positae, non jam insidias tendunt, vel secretioribus cuniculis subvertere nituntur, sed aperta in luce aciem instruunt, aggerem comportant, machinas erigunt, murorum pars diruta, excelsae quondam turres crebris arietibus labant: in dies enim viros proceros defecisse intelligimus quos aliis esse praesidio maxime oportuit: per domos, et templa effusas flammas accepimus: confusis clamoribus, et extremis periculis omnia plena. Vos, patres sanctissimi, divini exercitus duces, hujus civitatis fidis-



M.E.C.D. 2017

simi propugnatores, de quibus scriptum est. *Super* (Isaiae. 62.) *muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, ac nocte perpetuo non tacebunt.* Num inter, haec mala quiescendum? Num inter districtos hostium gladios oscitandum, inter ipsas mortis umbras inertem vitam ducemus? Procul ab hac sacra concione abesto improperium illud, quod in libro Sapientiae gentibus (*Sap.* 14.) Deum ignorantibus impingitur. In tanto viventes inscientiae bello, tot et tam magna mala, pacem appellant: evenit terra illa malorum facies, horrendum illud jam perstrepere sentiunt. *Vae mihi quoniam* (Hiere. 22.) *vocem buccinae audivit anima mea: clamorem praelii*: ad arma non ad quietem vocati sumus, *qui non habet* (Luc. 22.) *gladium*, juxta quod dominus consulit, *vendat tunicam suam, et emat*, hoc est propria quiete, ac securitate neglecta, pro patria urbe, pro antiquissima sede Romani pontificis, cunctis regnis et populis veneranda, pro sacra vestra potestate, pro sacramentorum virtute, pro fidei veritate, pro ecclesiastica disciplina: bellum suscipite *vos enim* (Abac. 2.) *praeliamini praelia domini.* Nemo locum suum deserat, sed fortissimum illum pugilem imitamini, qui dicebat: *super custodiam meam stabo*, figam gradum super munitionem, ut sciam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. Ecclesiae vobis creditae, custodiae vestrae sunt, quas in tranquillitate non colere infidum, in summo rerum discrimine relinquere velle facinus est. Non deerunt vobis aut bellici apparatus, aut arma quae magna praecedentium sedulitate collecta, summa etiam providentia disposita sunt. In promptu adest *turris illa* (Cant. 4.) *David, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Adsunt vobis apostolorum merita, martyrum coronae, pontificum vigiliae, doctorum monumenta, confessorum exempla praeclara, virginum lilia candentia, omnis denique armatura fortium, quibus instructi, et certam victoriam, et decus plurimum referetis, dummodo non turpiter jacere potius, quam strenue dimicare destinatum sit.

Tandem ut dicendi finem faciam, quid vobis agendum, magna cordis attentione perpendite. *Non potest civitas abscondi supra montem posita,* Omnium oculis conspicui, in publico veluti proscenio versamini, *spectaculum facti Deo, angelis, et hominibus*, in vos omnium ora conversa, ultimi hujus actus eventum, intentionis animis, orbis universus prospectat. Quo si per V. Ampl. licet in stadium decertaturi admissi istis, aut rebus compositis cum maxima gloria, vel iisdem infectis (eloquar?) cum summo dolore, ne dicam dedecore, hinc abeundum, frequentissimum hunc tantorum patrum conventum, hanc temporis opportunitatem multi reges optarunt, vix tandem nostra pars superis faventibus obtinuit, quod prioribus fuerat denegatum. Si (quod absit) post tot rerum molimina, sacer hic exercitus, instar aquarum, quae labuntur in praeceps, diffluere contingat: quid jam spei, aut solatii, inclinatis jam rebus, magnaque ex parte divulsis futurum existimemus? infidelium applausum, haereticorum insultationem, motus capitum, manuum protensionem, deflere jam olim videtur propheta, dicens: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt, et moverunt capita super filiam Hierusalem.* Quod si intelligant privatis studiis, contrariisque opinionibus concionem hanc sacram discindi, venerandam conciliorum veterum auctoritatem despectui sunt habituri, quod sequitur in Threnis non sine derisione jactantes: *Haeccine est urbs* (Thren. 2.) *perfecti decoris, gaudium universae terrae*? ¿Quod si certus intempestivi discessus vestri nuncius fuerit allatus (quod omen superi avertant) jam tunc insolentiores facti, subjectis verbis insultabunt. Haec est dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus: quid clarissimi principum et provinciarum oratores sunt acturi, si post tantam expectationem, post tot suorum petitiones exhibitas, arte elaboratas, pietate dispositas, lacrymis etiam aspersas, haec omnia ventis diffundenda committantur? quid sanctorum angelorum praesidia, quae vobis caelitus missa sunt, ut foveant, assistant, auxilientur? Laetine ad suos concives gesta narraturi revertentur? An vero deploratum illud ab Isaia propheta eventurum est? Ecce videntes clamabunt foris, *Angeli pacis* (Isaia 33.) *amare flebunt.*

Utque cetera sileam, quae multa referre possem, aspicite obsecro civitatis hujus principem, auctorem inquam, fidei, et consummatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta. Is quamvis sedeat in dextra majestatis in excelsis: vestris tamen conventibus solicitus adest, et quae sua fuit semper flagrantissima caritas, miseratur tantos mortalibus esse labores. Hujus urbis oblivisci non potest, etiam si mater unici *(Isaiae* 59.) filii obliviscatur, quoniam in manibus suis descripsit eam, et muri ejus in conspectu illius sunt semper. Pro his qui perierunt, et pro his qui deficiunt, et pro vobis adhuc stantibus, in quos omnis domus inclinata recumbit, solicitudinem gerit. Num vocanti, manusque suas extendenti deesse poteritis.

In mentem venit illius facti, quod primus liber Paralipomenon de David rege commemorat. Errabat profugus vir sanctus a facie Saul, regno, domoque (1. *Par.* 2.) pulsus, ad supplicium etiam

M:E.C.D. 2017

ultimum quaerebatur in desertis habitans, quia nulla urbs tutum ei offerebat ingressum: Principes quidam interea, facti indignitate permoti, et Judaea et Benjamin ad eum convenerunt suppetias laturi: quibus non satis fidens obvius processit, dicens: *Si pacifici venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur ad vos: sin autem ut insidiemini mihi, videat Deus et judicet.* Attendite quam nihilo dissimile immortali principi nostro David his diebus acciderit. Ex pluribus Europae regnis, quae olim pacifice obtinebat, propemodum ejectus, deserta ignotarum gentium quasi nova diverticula quaerit. Inter haec sacer iste conventus, vos inquam, fortissimi principes omnes, tenentes gladios, et ad bella doctissimi, ex Iudaea, et Benjamin habentes rectam fidem, veracem confessionem proferentes, auspiciis Romani pontificis, summi ducis et principis nostri convenistis, ut de reducendo rege, de recuperandis provinciis, de republica Christiana in commune decernatis, ut exulanti regi vestro opem feratis. En vobis obvius procedit, coram vobis ecce adstat, medius vestrum residet, et singulos benigne aspiciens talibus compellare videtur. Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, si recta mentis intentione, si animo simplici, ut reipublicae, meaeque sponsae consulatis, ut propugnandae civitati operam detis, si demum, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur ad vos, spiritus meus, qui a corde, hoc est ab amorep rocedit, quem ego perpetuum mansurum ecclesiae promisi, vestris comitiis aderit: vestra dogmata stabili veritate definiet, vestraque decreta perpetuo robore confirmabit. Cor meum jungatur ad vos, sin autem ut insidiemini mihi, ut luxu, factuque omnia concipere intelligentes, meam vicem non doleatis, nec orbi collabenti opem tuleritis? videat dominus et judicet, ille scrutator cordium, secretorum certissimus speculator dijudicet, et unicuique juxta opera sua reddet.

Utinam quod tunc scriptura commemorat, in praesentiarum nobis accidat. Spiritus enim domini (1, *Paral.* 12.) insiluit super Amasai, qui erat princeps super triginta: vel responderet Davidi. Utinam omnes, aut pro omnibus aliquis Dei Spiritu afflatus occurreret: Sed interim affectus vocesque omnium mutuatus, principi nostro praescriptis vestris Amasai respondebo. *Tui sumus, o David, tecum fili Isai pax. pax tibi, et pax adjutoribus tuis.* Tui sumus, o salvator, tecum omnipotentis Dei filii tui virtute creati, tuo sanguine redempti, tuis sacramentis imbuti, tibi omnia dedimus in baptismo, sub tuae crucis vexillo militamus. Pax, pax tibi, nec solum dextras pacis offerimus, sed tibi genua tamquam Deo vivo curvamus, *tibi enim* (Isaiae. 45.) *curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua*, tuis hostibus implacabile bellum indicimus, sed *pax adjutoribus tuis*, fidelibus inquam, sanctae Romanae ecclesiae fidem, unitatem, obedientiam retinentibus, et pacem optamus, et praesidium afferemus. Tu modo pro te certantibus adesto, ut partae victoriae gloriam et laudes referamus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

## XXI.

## SERMON PREDICADO AL CONCILIO TRIDENTINO POR EL DOCTOR MIGUEL ORONSUSPE (a), NATURAL DE OLITE.

### TEÓLOGO DEL OBISPO DE PAMPLONA DON DIEGO RAMIREZ SEDEÑO, EN LA DOMINICA DE LA SANTÍSIMA TRINIDAD, DIA 6 DE JUNIO DE 1563.

Videor fortasse vobis inepte facere, illustrissimi cardinales, clarissimi oratores, et reverendissimi patres, necnon viri cujuscumque ordinis expectatissimi, ac literatissimi, qui cum nulla sim cognitus commendatione, audeam in hunc locum a doctissimis, et sapientissimis theologis vestris ornatum ascendere, praesertim cum neque doctrina, neque dicendi facundia, neque denique rerum usu, aut experientia sim cum his conferendus, qui ante me dicere consueverunt: verum vester omnium incredibilis animi candor, quo ceteros qui in eadem arena versari solent amplecti consuevistis, impulit, ut hodierno die, de augustissimo sanctae Trinitatis mysterio, vobis audientibus hoc loco dicerem.

Sed illud modo antequam ulterius provehar, a vobis summopere contendo: Ut quando omne meum perfugium in vestra bonitate ac clementia situm est: tenuitatem meam vestro favore et silentio sublevetis, quo meus hic sermo, his veluti secundis subvectus ventis, quem sibi proposuit portum, facilius consequatur: quod ut commodius cum fructu aliquo praestare valeam, summis precibus a me efflagitandus est divinus et caelestis Spiritus, quem ut summus opifex, ac modera-

(a) En la pág. 533 equivocadamente, y siguiendo á muchos impresos le llamamos Oroncuspe; mas el actual señor párroco de Olite don Pedro Suescum nos advirtió; y ahora lo hemos corregido.

M.E.C.D. 2017

tor Christus (in cujus unius gloriam huc dicturus accessi) concedere dignetur, ad virginem matrem tamquam ad sacram anchoram confugiendum est: quae pio corde invocata, et angelico (*Ber. in Serm.* 2.) eloquio reverenter salutata, facile id quod quaerimus impetrabit, praesertim cum nulli unquam patrocinium optatum roganti denegaverit. Adeamus igitur omnes, et cum ipso angelo dicamus, Ave Maria.

*Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae.* Psal 66.

Paulus vas electionis merito vocatus, mirabilis Dei imitator, quem ex (*Act.* 9. *Chry. super Matth.*) persecutore magistrum et doctorem gentium fecit, cum contemplaretur Dei optimi maximi opera, ejus immensam erga genus humanum clementiam, et altius secum expenderet quomodo Deus quosdam eligat, quosdam vero reprobet: illius miseratione maxima ductus in caelum conversus in exclamationem erupit: *O altitudo* (Rom. 11.) *divitiarum scientiae, et sapientiae!* quis intelligit mentem Dei? quanto, inquit, magis ac magis Dei secreta quaerere cupio, tanto profundius mare ingredior, mentis meae acie excogitare valeo ejus profundissima mysteria. Quae sententia, amplissimi patres, non immerito hodierno die vestro omnium conspectu a me proferri potest, nam si acutissimi philosophi, si peritissimi theologi, si exercitatissimi in omni disciplinarum genere homines facilius esse dixerunt, assignare quid Deus non esset, quam quid esset: quanto magis animus meus expavescet in hujus sacri mysterii meditatione? exhorrescit mens, nec lingua suum praestare aut exequi officium potest: nam quid magis arduum hominibus proponi aut objici potest, quam hoc augustissimum S. Trinitatis mysterium? quid magis admiratione dignum, quam tres personas Patris, Filii, et Spiritus S. unum Deum esse, unam substantiam atque essentiam? quid denique est, cum omnia mente animoque lustraveris, quod dici aut excogitari possit majus? res est, mihi credite, quae nec intellectu percipi aut excogitari, nec lingua enarrari, nec rationibus pervestigari potest: certissimam tamen veritatem firmissimo sacrae scripturae testimonio comperiemus: *ex ipso,* inquit, *per ipsum, et in ipso* (Rom. 11.) *sunt omnia*: est enim pater, *per quem omnia, et nos in ipsum,* ut testatur D. Paulus, per Filium *omnia facta* (1. Ioan. 1.) *sunt, et sine ipso factum est nihil,* scribente Ioanne, per Spiritum sanctum *habemus accessum ad Patrem et Filium,* ut scribit, Paulus ad Ephe. 2. haec est sanctissima Trinitas quae in caelis unus est Deus, quam videre sicuti est, summa dicitur et perfecta felicitas. Quod si nihil magis (*Greg. in Mor.*) in votis esse solet, quam ut principum gratiam et favorem habeamus, quos fructus haec vita exhibere solet, ut bene et feliciter homines vivere possint: quanto majores et uberiores expectare debemus ab ipsa sancta triade Patris, Filii, et Spiritus sancti: cujus imago in nobis relucet, estque in animis nostris infixa? Quod si contingat principes etiam incredibili amore prosequi, illud tamen non diu durat, cum caducum et perexiguum censeatur: at qui sanctissimae Trinitatis favorem nactus fuerit, is patronum habet constantem, misericordem, potentem, et perfectum, divitem in misericordia, magnificum in justitia, qui judicat innocentes, et misericorditer salvat peccatores.

Quamquam vero non dubitem, quin vos omnes in hoc, ut in ceteris fidei nostrae articulis, sitis edocti, quos omni pietate, religione, et exemplo a teneris annis istis semper amplexi: tamen nisi molestum est, adducam locum unum aut alterum, quibus hanc nostram sacram triadem confirmare videar: quam nonnulli Herodis insania, et satanae impetu Aquilone suscitato evertere conati sunt. Scribitur Gen. 1. In principio Deum creasse caelum, et terram, et Spiritum domini ferri super aquas, nemo est, qui dubitet nos per Deum, Patrem intelligere debere, per principium, Filium, per Spiritum domini, Spiritum sanctum, in qua Trinitate tantum est una, quantum tres simul: nec plus, ut testatur D. Augustinus, sunt duae, quam (*Aug. l.* 6. *de Trin.*) una: et ita ut testatur Augustinus, singula sunt in singulis, omnia in singulis, singula in omnibus, omnia in omnibus, et omnia unum. Animadvertite, quaeso, diligentius ea quae sequuntur: summus (*Gen.* 18.) ille patriarcha Abraham tres viros prope se astantes ante ostium tabernaculi vidisse legimus, unum tamen adorasse confessus est, quibus verbis etiam si tres personas inter se distinctas fateatur, unum tamen Deum aperte confitetur, quod et si creditu difficillimum sit, quod mentem humanam superet, gaudeat tamen homo Deum cognoscens, in Trinitate illi gratias agat, et tendat ad pietatem, quod unus sit Deus, sed tamen Trinitas. Quod Isaias per ternam illam compellationem, *Sanctus,* (Isaiae. 6.) *Sanctus. Sanctus,* definitionem personarum indicavit, unita tem vero essentiae per additionem, *dominus Deus sabaoth*: quod propheta verbis a me initio allatis luce clarius hominum animis infixit, *Benedicat nos Deus, Deus* (Psal. 6.) *noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae.*

Hujus tanti mysterii, cum Augustino in Sole ipso licet (*Aug. de verbis domini.*) intueri, in quo ria contemplamur, essentiam, splendorem, et calorem: essentia Solis a nullo creata est, sic ne-

M.E.C.D. 2017

que Pater: splendor ab essentia, sic et Filius a Patre: calor vero ab utroque: sic Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio. Itaque ut scribit D. August. in Trinitate numerus est, sed numerus (*Aug.* 1. *de Trinitate*. 1. *Ioan.* 5.) non apparet, quia *tres qui testimonium dant in caelo Pater. Filius, et Spiritus sanctus unum sunt.* Cum igitur augustissimum mysterium, tam arduum sit, supereminens, abditum, et admirabile, ut a nullo mortalium possit percipi aut pervestigari, satius erit judicia Dei admirari et adorare, quam velle perscrutari. Nam ut affirmat D. August. ubi quaeritur unitas (*Aug. lib.* 1. *de Trinit.*) Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Quare generis humani hostis, invidia gloriae humanae motus, quosdam decepit, ut a consecutione sanctae Trinitatis averteret: quales fuere Ebionitae, Samosateni, Artemonitae, qui secundam Trinitatis personam Deum esse negarunt: sed tantum habuisse naturam humanam. Verum quis non videt Deum patrem pro sua bonitate generi humano corrupto donasse Filium suum dominum nostrum Iesum Christum? qui nos restituat, sibique reconciliet, a tyrannide diaboli liberet, et ad vitam aeternam perducat? neque audiendi sunt sceleratissimi haeretici, Macedonii, Ariani, Eunomitae: qui Spiritum sanctum aut Patri aequalem non esse, aut a Patre et Filio non procedere impudentissime affirmarunt. Verum simul cum Pater caelestis Spiritum sanctum in corda nostra infundit, voluntatem nostram illuminat, totumque hominem perficit, sua praesentia totus immutatur, et veluti novus factus videtur. Spiritus sanctus, impellit voluntatem nostram ad assensum, et trahit ad amorem rerum intellectarum, ne desperemus propter peccata commissa, sed per Christum patri reconciliatos esse credamus. Addit quoque Spiritus sanctus vires, ut quae ipsius gratia volumus et intelligimus, ejus quoque auxilio praestare possimus. Videat nunc unusquisque, quomodo Spiritus sanctus operetur in nobis per internam suam gloriam, videat Filium per suam mortem a damnatione aeterna nos dissolutos reliquisse, videat et credat has tres personas aequales esse in majestate, pares esse in potestate, unum Deum esse, unam substantiam, et essentiam: qui cum simplex sit, neque partium, neque accidentium diversitate constabit.

Verum si alicui venit in mentem, quomodo in hac sancta triade tres personae, Patris, Filii, et Spiritus sancti, sunt unus Deus: quomodo in una persona sit verum Deus, et verus homo simul, similiter quomodo hic ex casta virgine citra viri operam potuit concipi et nasci, quomodo ejus gloriosissimum corpus sit in caelis ad dexteram Dei Patris, et simul sit in augustissimo eucharistiae sacramento, et si quae his similia occurrant, precor cogitet profundissimas et abditissimas esse Dei omnipotentis divitias: cogitet illum nil sine causa fecisse, sed omnia probe disposuisse, cogitet ex ipso, in ipso et per ipsum omnia facta esse, et pronus lacrymans Deum adoret, ejus profundissima mysteria admiretur, cogitet scriptum esse: probe cuncta a Deo disposita et ordinata esse. Quemadmodum enim noluit Deus nos scire, num praedestinati vel reprobati simus, ne in securitatem carnalem, aut ignaviam, vel potius in desperationem labamur, sed voluit nos continuo versari inter spem et metum: hinc jubet D. Paulus ut cum timore et tremore operemur (*Philip.* 2. *Rom.* 10. *Heb.* 11) salutem: ut sicut illic non debemus esse nimium curiosi, sic neque in hac sancta triade: sed fide qua credimus ad justitiam, et sine qua placere Deo non possumus, credendum et tenendum est: ne cupientes scrutari majestatem (*Prov.* 25) opprimamur a gloria, ut testatur Sapiens. Omnino igitur et citra ullam dubitationem credamus credenda omnia, et simus soliciti in sola observatione verbi, mandatorumque Dei, amplectentes sanctorum monumenta, summorum pontificum decreta, et veneranda sacrorum conciliorum statuta, quibus Spiritum sanctum adesse credimus, rejicientes vanas et jejunas quaestiones quae potius ad segregandas Christi oves. quam ad eas reducendas ad Christi ovile, vel in eo retinendas conducunt.

Pie enim Syracusanus ille (*Siracidae, hoc est ecclesiastici cap.* 3 *intelligit)* nos admonet, ne curemus perscrutari altiora et fortiora, sed per opera bona et ecclesiae statuta vocationem nostram, ad quam creati sumus adimpleamus. Quemadmodum (*Genes.* 8) tempore inundationum aquarum soli illi, qui in Noe arcam se receperant fuerunt a morte liberati: ita soli illi qui intra limites sacrosanctae Romanae ecclesiae vixerint, regnum Christi numquam periturum possidebunt. Porro agnoscamus beneficium immensum, quod a sancta triade in nos usque pervenit, tota sancta Trinitas, Patris, Filii, et Spiritus sancti, concurrit in negotium justificationis, et salutis nostrae. Nam Deus pater semen illud caeleste nimirum verbum suum, in corda nostra immittit, cum regenerationis principium et virtus ex semine, nempe verbo Dei, Spiritu sancto verificato profluat. Spiritus sanctus semen illud in cordibus electorum verificat, filius vero aqua



M.E.C.D. 2017

sanguinis sui preciosissimi, per Spiritum sanctum conceptum humectat semen illud, ut fructum saluberrimum exhibere possit, et exhibito, homo possit Deum amare, amando ejus incomprehensibili bono frui.

Ut autem tres sunt personae, ita tria inde generari oportet: intellectum, memoriam, et voluntatem: quorum unumquodque reliqua duo capit, ut D. Augustinus testatur: Ideo in mente humana (*Aug.* 1 *de Trinit.*) imaginem Trinitatis reperiri voluit. Oportet itaque intellectum, ut basim nostrae salutis intelligamus: voluntatem, ut quae bene intelligimus velimus: et vires, ut quod volumus re ipsa praestare et exequi possimus. Hinc constat solum Deum trinum in personis auctorem esse nostrae salutis. Itaque cum beato Bernardo exclamare (*Berna. Ser.* 11 *super cantica*) licet, O beata et beatifica Trinitas, ad te mea misera Trinitas miserabiliter suspirat, nam a te discedens multis doloribus, calamitatibus et aerumnis involvitur. Nunc, amplissimi patres, cum intelligatis verum Dei cultum periclitari, hoc unum superesse videtur, vestrarumque partium esse, ut Petri naviculam multis flagitiorum fluctibus agitatam, in verum genuinumque splendorem revocetis: sic enim expectationi, quam de vobis viri boni semper habuerunt, respondisse, et vobis ipsi numquam defuisse videbimini. Convenistis ex remotissimis orbis partibus, dereliquistis patriam, carissimosque penates non ut de privatis commodis, aut honore et gloria caduca, non ut de focis, et laribus, aut de pace Pyrrhi, sed de communi totius reipublicae Christianae salute, de Dei optimi maximi honore et gloria, de ecclesiae labescentis statu, et integritate strenue ac viriliter agatis. Intelligant, amplissimi patres, intelligant, inquam, non solum viri Dei cultores, sed barbarae etiam nationes vestrum erga Christum Iesum, et ejus sponsam amorem: ad cujus auctoritatem et dignitatem omnes cogitationes, omnes conatus, omnem denique animorum vestrorum impetum traducatis.

